

BUCHANAN (George)

SYLVAE (699 vers)

Ce texte a été établi à partir de deux éditions de l'oeuvre poétique de Buchanan : celle publiée à Amsterdam en 1641 chez Johannes Iansonium et celle, hollandaise également, parue chez Arnoldus Langerak, en 1725.

AD CAROLUM V IMPERATOREM,  
BURDEGALE HOSPITIO PUBLICO SUSCEPTUM NOMINE SCHOLAE BURDEGALENSIS  
ANNO M.D. XXXIX.

S\_1 v.1 Vasconidis regnator aquae, generose Garumna,  
2 cui toties Latios fasces, totiesque curule  
3 fas ebur, et veteres, ingentia nomina, patres  
4 caeruleo excepisse sinu, non contigit umquam  
5 hospitii tibi major honos, licet usque vetusti  
6 temporis aeterno ferias repetatur ab aevo ;  
7 Roma atavos quamvis, magnae licet aemula Romae  
8 proferat antiquos tellus Byzantia patres.  
9 Ausoniae regalis honos, decus orbis Iberi  
10 Carolus, Arctoi soboles Mavortia Rheni  
11 Vasconicam subit hospes humum, quem publica poscunt  
12 vota orbis, famulas cui porigit obvius ulnas  
13 albula, nativi quem tentat turbicus auri  
14 deliciis revocare Tagus, quem jure paterno  
15 caerulei repetunt prima incunabula Rheni,  
16 cerner quem cupiunt gemino sub sole superbi  
17 barbaricis ambo exuviis, hins Ister, et illinc  
18 Bagrada Marmaricae lentus sulcator arenae.  
19 Burdegalam tamen ille tuam, tua tecta, Garumna,  
20 ingens hospes init : tibi majestate remissa  
21 imperii decrescit apex, tectoque minori  
22 Caesareus succedit honos, privata subire  
23 culmina dignantur Latii diademata regni.  
24 Sic Hecale Aegiden, sic te Tirynthia proles  
25 ceperunt rigidi mapalia nuda Molorchi ;  
26 sic posita quondam sceptri gravitate perustos  
27 Juppiter Aethiopas, canamque revisere Tethym  
28 gaudet, et alternis interserit otia curis.  
29 Ergo hospes positisque minis, ventisque, Garumna,  
30 compositis, Borea non obluctante vel Austro,

31 tranquillus mitisque adsis, vultuque sereno  
 32 crispentur tremulae Zephyris felicibus undae ;  
 33 depositum tibi grande orbis, tibi publica vota  
 34 spemque suam credit, rectorem gentis Iberae,  
 35 Ausoniae dominum, Boreae pugnacis alumnum,  
 36 victorem Libycae terrae, Scythiaeque timorem,  
 37 quem colit occasus, Boreas amat, ultimus horret  
 38 ortus, et infidi metuit solertia Mauri.  
 39 Cernis ut effractis popularia flumina claustris  
 40 accurrant, properentque tuis se jungere Nymphae  
 41 fluctibus, Oceanus refluis ut plenior undis  
 42 majores convolvat aquas, cupidaeque videndi  
 43 Nereides, Nereusque pater, Tritonque canorus,  
 44 et senior Glaucus, viridisque examina Phorci  
 45 discursent tremula per stagna liquentia cauda ?  
 46 Tu quoque magnanimum quamvis stirps, Carole, avorum  
 47 magnanimis sis major avis, te Gallia quamvis  
 48 obvia sollicitet, quamvis cunabula pandat  
 49 Rhenus, et Austriaci revocent molimina sceptri,  
 50 Burdegalae exiguos ne dedignere penates  
 51 hospitio sancire tuo : quae dispare quamvis  
 52 fortunae splendore tuo, parvoque paratu  
 53 te capit hospitio, studio in te forte fideli  
 54 atque animo Regum ingentes aequaverit aulas.  
 55 At famae si danda fides, subiere minores  
 56 numina saepe casas, ac non ingrata voluntas  
 57 hospitis et magnum cepit mens grata Tonantem.  
 58 Obsequiis concede piis, concede favori  
 59 Burdegalae, totam tibi quae cum civibus urbem  
 60 devovet, ut seri possint meminisse nepotes  
 61 quae loca tu quondam, quae tecta impleveris ingens  
 62 hospes, et externis veniens peregrinus ab oris  
 63 discere magnanimi cupiat vestigia Carli.  
 64 Si locus hic superest, inter si nomina tanta  
 65 admittunt tenues communia gaudia Musas,  
 66 versibus incultis Aquitanis turba Camenis  
 67 dedita te studiis patronum, et pacis adorat  
 68 auctorem, facilesque vias, facilesque recursus  
 69 exoptat, Pylios et cum superaveris annos,  
 70 jam tibi promissam super aurea sidera vitam.

DESIDERIUM PTOLEMAEI LUXII TASTAEI.

S\_2 v.1 Usque adeo patrii sordet tibi ripa Garumnae,  
 2 Pictones ut scopulos, atque horrida tesqua frutetis  
 3 durus ames ? Nec te socium pecorisque larisque  
 4 cura tenet, nec quam sociis pecorique larisque  
 5 praetuleras ; cui saepe rosas, cui saepe solebas  
 6 pallida cum niveis vaccinia ferre ligustris,  
 7 quam tu sideribus, quam tu componere soli  
 8 ausus eras, cujus nitidis radiantia gemmis  
 9 sola tibi purum fundebant lumina lumen.  
 10 Nunc tamen (heu numquam constans in amore voluptas !)  
 11 Tu procul hinc steriles rupes colis immemor Agrii

12 Vasconicique gregis, Nymphaeque oblitus amatae ;  
 13 forsitan et stupidas bona carmina perdis ad aures.  
 14 Interea nostris pastoria fistula silvis  
 15 muta silet, mutae pecudes, mutaeque volucres,  
 16 nec strepit assueto Zephyri levis aura susurro.  
 17 Noctua successit philomelae, et acanthidi bubo,  
 18 strixque nocens pueris, et tristis ad omina cornix,  
 19 raucaque flumineae recinunt convicia ranae.  
 20 Sicubi fausta sedet volucris, non gutture laeto  
 21 mulcet agros, non in tractus lasciva volatu  
 22 emicat aërios, tristi sed murmure maestum  
 23 et lugubre sonans sedet in dumis desertis  
 24 abdita, turbatis deformis et horrida pennis.  
 25 Ipse ego cum calamos maesti solacia luctus  
 26 sumere tentarem, crudumque levare dolorem  
 27 carmine, vix primis admoram labra cicutis,  
 28 sive fuit casus, seu (quod magis auguror) omen,  
 29 et mala quae mentem numquam praesagia fallunt,  
 30 flebile raucisonae responsavere cicutae.  
 31 Ipsae etiam in tumidis Nymphae Oceanitides undis,  
 32 ipsae etiam in placidis Nymphae Dordonides antris,  
 33 ipsi etiam montes, ipsae etiam convalles  
 34 auditae longas per noctem iterare querelas.  
 35 Sed neque te tantum, quamquam te flumina lugent,  
 36 nec tantum Nymphae, silvae, volucresque feraeque,  
 37 quantum te in solis solus gemit Agrius antris.  
 38 Illum ego congressusque hominum et consortia tecta  
 39 vitantem, tacitae per muta silentia silvae  
 40 dum sequor, et voces capto, et vestigia servo,  
 41 haec memini maesta convicia fundere lingua.  
 42 Pictones o scopuli, et nudis impervia saxis  
 43 culmina, et exiguae male pingua culta Crotellae,  
 44 quaeque paris raras tantum silva horrida glandes,  
 45 ah ! quibus infames magicis in collibus herbas  
 46 gignitis ? Aeaei quae vis occulta veneni  
 47 hinc procul in vestris Ptolemaeum detinet oris ?  
 48 Certe ibi purpureis non lotos aquatica baccis,  
 49 quae tenuit socios tarde redeuntis Ulyssæi,  
 50 non Cereri lustratus ager, non commoda bubus,  
 51 pascua, non virides generoso palmite colles,  
 52 qualia Vasconicae felicia jugera glebae.  
 53 Ceteraque ut constent, non quae dedit ubera primum  
 54 hic genitrix, non quod tua primum infantia caelum  
 55 hausit, et infirmis pulsus vagitibus aer,  
 56 reptatumque solum puero : non falce notata  
 57 silva sub hirsuto servat tua carmina libro,  
 58 carmina nequicquam memorem spondentia mentem.  
 59 Quid tamen hoc prodest, patrii quod ripa Garumnae  
 60 et viridis frondes, et amoenam in frondibus umbram  
 61 prima tibi dederit, si tu non tangeris istis ?  
 62 At te si capiunt inamoeno robore colles,  
 63 quodque per incultas aescit gramen arenas,  
 64 raraque quae canis languet vindemia saxis,  
 65 ipse suas vitas, sua pingua culta Garumna  
 66 oderit, et nulla redimitus arundine frontem  
 67 in mare per steriles lente prorepet arenas.

68 Quid precer, o silvae, vobis, quid saxa, quid undae ?  
 69 Quid campis precer, et pecori, pecorisque magistris,  
 70 quos mihi, quos patriae Ptolemaeus praetulit orae ?  
 71 Silva neget glandes, et Bacchi munera colles,  
 72 torreat arva sitis, scabies pecus, atra magistros  
 73 pestis et insani perimant contagia morbi,  
 74 sospite Tastaeco patriaeque mihique sibique,  
 75 immemor ut visat memores invitus amicos.  
 76 Hei mihi ! Quid silvae et campi, quid saxa, quid undae ?  
 77 Quid pecus, et pecoris quid commeruere magistri ?  
 78 Haec ego devoveam, patriis quae praetulit arvis  
 79 pascua Tastaecus ? Piget, et mea vota retracto :  
 80 rursus et iratae linguae maledicta recanto.  
 81 Glande nemus, fetu pecus, uva vitis abundet,  
 82 puraque perspicuis manet de fontibus unda,  
 83 pabula dent campi, silvae pastoribus umbras,  
 84 sub quibus arguta carmen modulentur avena.  
 85 Quae te cumque tenet tellus, quaecumque tenebit ;  
 86 sive per aestiferas Libyae sitientis arenas  
 87 pastor ages pecudes, Boreae seu juncta nivali  
 88 rura coles, Libycum Boreas riget imbris axem,  
 89 et rigor Arctous tepido mitescat ab Austro ;  
 90 et quacumque feres gressus, tibi balsama sudet  
 91 quercus, mella rubis, tribulisque legatur amomum ;  
 92 dum neque terra ferax mellis, neque dives amomo  
 93 esse tibi patrio videatur amicior arvo.  
 94 Me miserum ! quid vana queror ? Procul ille remotis  
 95 saltibus externos forsitan suspirat amores.  
 96 At vos, o venti, tuque o pulsata querelis  
 97 aura meis toties, et amari conscia luctus  
 98 partem aliquam duras Ptolemaei perfer ad aures.  
 99 Ille licet scopulis (quod non puto) durior ipsis  
 100 fiat, et antiqui (quod nolim) oblitus amici,  
 101 cum tamen audierit gemitus, moturaque rupes  
 102 verba mei luctus, nostro ingemet ille dolori,  
 103 dicet et "Hic nostrae fuit admirator avenae."  
 104 Plura locuturo vultum sub nube recondens  
 105 tristior occiduas Phoebus descendit in undas.

DESIDERIUM LUTETIAE.

S\_3

v.1 O formosa Amarylli, tuo jam septima bruma  
 2 me procul aspectu, jam septima detinet aestas.  
 3 Sed neque septima bruma nivalibus horrida nimbis,  
 4 septima nec rapidis candens fervoribus aestas  
 5 exstinguit vigilans nostro sub pectore curas.  
 6 Tu mihi mane novo carmen, dum roscida tondet  
 7 arva pecus, medio tu carmen solis in aestu,  
 8 et cum jam longas praeceps nox porrigit umbras ;  
 9 nec mihi quae tenebris condit nox omnia vultus  
 10 est potius occultare tuos, te nocte sub atra  
 11 alloquor, amplector, falsaque in imagine somni  
 12 gaudia sollicitam palpant evanida mentem.  
 13 At cum somnus abit, curis cum luce renatis

14 tecta miser fugio, tamquam mihi tecta doloris  
15 semina subjiciant, et solis maestus in agris,  
16 qua vagus error agit feror, et deserta querelis  
17 antra meis, silvasque et conscia saxa fatigo.  
18 Sola meos planctus Echo miserata gementi  
19 adgemit, et quoties suspiria pectore duco,  
20 haec quoque vicino toties suspirat ab antro.  
21 Saepe super celsae praerupta cacumina rupis  
22 in mare prospiciens, spumantia caerula demens  
23 alloquor, et surdis jacto irrita vota procellis :  
24 O mare ! quaeque maris vitreas, Nereides, undas  
25 finditis, in vestros placidae me admittite portus ;  
26 aut hoc si nimium est, nec naufragus ire recuso,  
27 dummodo dilectas teneam vel naufragus oras.  
28 O quoties dixi Zephyris properantibus illuc,  
29 felices pulchram visuri Amaryllida venti,  
30 sic neque Pyrene duris in cotibus alas  
31 atterat, et vestros non rumpant nubila cursus,  
32 dicite vesanos Amaryllidi Daphnidos ignes.  
33 O quoties Euro, levibus cum raderet alis  
34 aequora, dicebam "Felix Amaryllide visa,  
35 dic mihi, num meminit nostri ? Num mutua sentit  
36 vulnera ? Num veteris vivunt vestigia flammae ?"  
37 Ille ferox contra rauco cum murmure stridens  
38 avolat irato similis, mihi frigore pectus  
39 congelat, exanimes torpor gravis alligat artus.  
40 Nec me pastorum recreant solamina, nec me  
41 fistula, Nympharumque leves per prata choreae,  
42 nec quae capripedes modulantur carmina Panes :  
43 una meos sic est praedata Amaryllis amores.  
44 Et me tympana docta ciere canora Lycisca,  
45 et me blanda Melaenis amavit, Iberides ambae,  
46 ambae florentes annis, opibusque superbae ;  
47 et mihi dotales centum cum matribus agnos  
48 ipsi promiserunt patres, mihi munera matres  
49 spondebant clam multa. Meum nec munera pectus,  
50 nec nivei movere suis cum matribus agni,  
51 nec quas blanditias tenerae dixere puellae  
52 nec quas delicias tenerae fecere puellae.  
53 Quantum ver hiemem, vietum puer integer aevi,  
54 ter viduam thalamis virgo matura parentem,  
55 quam superat Durium Rhodanus, quam Sequana Mundam,  
56 lenis Arar Sicorim, Ligeris formosus Iberum,  
57 Francigenas inter Ligeris pulcherrimus amnes,  
58 tantum omnes vincit Nymphas Amaryllis Iberas.  
59 Saepe suos vultus speculata Melaenis in unda  
60 composuit, pinxitque oculos, finxitque capillum,  
61 et voluit, simul et meruit formosa videri.  
62 Saepe mihi dixit : "Animi male perditte Daphni,  
63 cur tibi longinquos libet insanire furores ?  
64 Et quod ames dare nostra potest tibi terra, racemos  
65 collige purpureos, et spes ne concipe lentas.  
66 Saepe choros festos me praetereunte, Lycisca  
67 cernere dissimulans, vultusque aversa canebat  
68 haec, pedibus terram, et manibus cava tympana pulsans ;  
69 et Nemesis gravis ira, atque irritabile numen,

70 et Nemesis laesos etiam punitur amores.  
 71 Vidi ego, dum leporem venator captat, echinum  
 72 spernere, post vanos redeuntem deinde labores,  
 73 vespere nec retulisse domum leporem nec echinum.  
 74 Vidi ego, qui mullum peteret piscator, et artis  
 75 retibus implicitam tincam sprevisset opimam,  
 76 vespere nec retulisse domum mullum neque tincam.  
 77 Vidi ego, qui calamos crescentes ordine risit  
 78 pastor arundineos, dum torno rasile buxum  
 79 frustra amat, (interea calamos quos riserat, alter  
 80 pastor habet) fragiles contentum inflare cicutas.  
 81 Sic solet immodicos Nemesis contundere fastus."  
 82 Haec et plura Melaenis, et haec et plura Lycisca  
 83 cantabant surdas frustra mihi semper ad aures.  
 84 Sed canis ante lupas, et taurus diliget ursas,  
 85 et vulpem lepores, et amabit dama leaenas,  
 86 quam vel tympana docta ciere canora Lycisca  
 87 mutabit nostros vel blanda Melaenis amores.  
 88 Et prius aequoribus pisces, et montibus umbrae,  
 89 et volucres deerunt silvis, et murmura ventis,  
 90 quam mihi discedent formosae Amaryllidos ignes :  
 91 illa mihi rudibus succendit pectora flammis,  
 92 finiet illa meos moriens morientis amores.

FRANCISCI VALESII ET MARIAE STUARTAE,  
REGUM FRANCIAE ET SCOTIAE, EPITHALAMIUM.

S\_4 v.1 Unde repentino fremuerunt viscera motu ?  
 2 Cur Phoebum desueta pati praecordia anhelus  
 3 fervor agit, mutaeque diu Parnassidos umbrae  
 4 turba iterum arcanis renovat Paeana sub antris ?  
 5 Nuper enim, memini, squalebat marcida laurus,  
 6 muta chelys, tristis Phoebus, citharaeque prepertor  
 7 arcas, et ad surdas fundebam vota sorores.  
 8 Nunc Phoebi delubra patent, nunc Delphica rupes  
 9 panditur, et sacro cortina remugit ab antro.  
 10 Nunc lauro meliore comas innexa sororum  
 11 turba venit, nunc Aoniae non invida lymphae  
 12 irrigat aeternos Pimplei ruris honores,  
 13 laetaque Pieriae revirescit gloria silvae.  
 14 Fallimur ? An nitidae tibi se, Francisce, Camenae  
 15 exornant ? Tibiserta parant, tibi flore recenti  
 16 templa novant ? Mutumque diu formidine Martis  
 17 gaudent insolitis celebrare Helicon choreis ?  
 18 Scilicet haud alius nemoris decerpere fructus  
 19 dignior Aonii, seu quem numerare triumphos  
 20 forte juvat patrios, seu consecrata Camenis  
 21 otia : sic certe est. Hinc laeto compita plausu  
 22 cuncta fremunt ; legumque exuta licentia frenos  
 23 ludit : Hymen, Hymenaeus adest ; lux illa pudicis  
 24 exoptata diu votis, lux aurea venit :  
 25 venit. Habes tandem toties quod mente petisti,  
 26 o decus Hectoridum juvenis ; jam pone querelas,  
 27 desine spes nimium lentas, jam desine longas

28 incusare moras, dum tardum signifer annum  
 29 torqueat, ignavos peragat cum Cynthia menses.  
 30 Grande morae pretium fers : quod si prisca tulissent  
 31 saecula, non raptos flesset Menelaus amores,  
 32 et sine vi, sine caede Phrygum Cytherea probatae  
 33 solvere Priamidae potuisset praemia formae.  
 34 Digna quidem facies, quam vel trans aequoris aestus  
 35 classe Paris rapiat, vel conjurata reposcat  
 36 Graecia ; nec minus est animi tibi, nec minor ardor  
 37 quam Phrygio Graiove duci, si postulet arma  
 38 conjugii tutela tui. Sed mitior in te  
 39 et Venus, et teneri fuit indulgentia nati,  
 40 qui quod ames tribuere domi ; puerilibus annis  
 41 coeptus amor tecum crevit, quantumque juventae  
 42 viribus accessit, tanto se flamma per artus  
 43 acrius insinuans tenerum pascebat amorem.  
 44 Non tibi cura fuit, quae saepius anxia regum  
 45 pectora sollicitat, longinquae obnoxia flammae ;  
 46 nec metus is torsit, veri praenuntia fama  
 47 ne vero majora ferat, dum saecula prisca  
 48 elevat, et primum formae tibi spondet hoborem ;  
 49 cera nec in varias docilis transire figuras  
 50 suspendit trepidam dubia formidine mentem,  
 51 nec tua commisti tacitis suspiria chartis,  
 52 rumorisque vagam timuisti pallidus umbram.  
 53 Ipse tibi explorator eras, formaeque probator,  
 54 et morum testis. Nec conciliavit amorem  
 55 hunc tibi luxuries, legum indignata teneri  
 56 imperio, aut primis temerarius ardor ab annis ;  
 57 sed sexu virtus, annis prudentia major,  
 58 at decori pudor, et conjuncta modestia sceptris,  
 59 atque haec cuncta ligans arcano gratia nexu.  
 60 Spes igitur dubiae, lentaeque facessite curae,  
 61 ipse tuis oculis tua vota tuere, probasque ;  
 62 speratosque leges sine sollicitudine fructus,  
 63 nullaque fallacis delusus imagine somni  
 64 irrita mendaci facies convicia nocti.  
 65 Exspectatus Hymen jam junget foedere dextras,  
 66 mox etiam amplecti, mox et geminare licebit  
 67 basia, mox etiam non tantum basia ; se tu,  
 68 quamlibet appropere, animo moderate : beatum  
 69 nobiscum partire diem, tu gaudia noctis  
 70 solus tota feres, quamquam neque gaudia noctis  
 71 solus tota feres. Et nos communiter aequum est  
 72 laetitiam gaudere tuam ; communia vota  
 73 fecimus, et sacras pariter placavimus aras,  
 74 miscuimusque preces, et spesque metusque tuosque  
 75 sensimus affectus : aegre tecum hausimus una  
 76 taedia longa morae. Superi nunc plena secundi  
 77 gaudia cum referant, sensus pervenit ad omnes  
 78 laetitiae, mentemque ciens renovata voluptas  
 79 crescit, et exsultant trepidis praecordia fibris.  
 80 Qualis ubi Eois Phoebus caput extulit undis  
 81 purus, et auratum non turbidus extulit axem,  
 82 cusptide jucundae lucis percussa reident  
 83 arva, micat tremulo crispatus lumine pontus,

84 lenibus aspirat flabris innubilus aer,  
85 blanda serenata ridet clementia caeli ;  
86 at si nubiferos effuderit Aeolus Austros,  
87 et pluviis gravidam caelo subtexit umbram,  
88 maesta horret rerum facies, deformia lugent  
89 arva, tument fluctus, campis gravis incubat aer,  
90 torpet et obductum picea caligine caelum,  
91 sic ex te populus suspensus, gaudia, curas,  
92 maeroresque trahit ; rosea nec sola juvena  
93 florida, nec spatiis quae te propioribus aetas  
94 insequitur, genio indulgent, vultuque soluto  
95 lusibus exhilarant aptos juvenilibus annos ;  
96 hunc posita vultus gravitate severior aetas  
97 laetatur celebrare diem, matresque verendae  
98 non tacito hunc, tacitoque optat virguncula voto.  
99 Quid loquar humanas admittere gaudia mentes ?  
100 Ipsa parens rerum totos renovata per artus  
101 gestit, et in vestros penitus conspirat honores.  
102 Aspice jam primum radiati luminis orbem  
103 semper inexhausta lustrantem lampade terras,  
104 ut niteat, blanda ut flagrantes mitiget ignes  
105 temperie, ut cupidos spectacula vestra tueri  
106 purpureo vultus maturior exferat ortu,  
107 serius occiduas currus demittat in undas,  
108 ut gelidos repetens flamma propiore triones  
109 contrahat aestivas angusta luce tenebras.  
110 Ipsa etiam tellus virides renovatur amictus,  
111 et modo pampineas meditatur collibus umbras,  
112 et modo messe agros, modo pingit floribus hortos,  
113 norrida nec tenero cessant mansuescere fetu  
114 tesqua, nec armati spina sua brachia vepres,  
115 nec curvare feros pomis aviaria ramos ;  
116 inque omnes frugum facies bona copia cornu  
117 solvit, et omniferum beat indulgentior annum,  
118 pignoris hoc spondens felices omine taedas.  
119 Fortunati ambo, et felici tempore nati,  
120 et thalamis juncti ! Vestram concordia mundi  
121 spem fovet, aspirat votis, indulget honori ;  
122 atque utinam nullis umquam labefacta querelis  
123 conjugium hoc canos concordia servet in annos.  
124 Et (mihi ni vano fallax praecordia Phoebus  
125 impulit ingenio) quem jungit sanguinis ortus,  
126 et commune genus proavum, serieque perenni  
127 foedus amicitiae solidum, quem more vetusto  
128 sancta verendarum committunt foedera legum,  
129 nulla dies umquam vestrum divellet amorem.  
130 Vos quoque felici lucent quibus omine taedae,  
131 quo studium, populique favor, quo publica regni  
132 vota precesque vocant, alacres accedite : tuque  
133 tu prior, o reges non ementite parentes,  
134 hectoride juvenis, tota complectere mente  
135 quam dedit uxorem tibi lex, natura sororem,  
136 parentem imperio sexus, dominamque voluptas,  
137 quam sociam vitae tibi conjungere parentes,  
138 et genus, et virtus, et forma, et nubilus aetas,  
139 et promissa fides, et qui tot vincula nectens



140 firmius artat amor totidem per vincula nexus.  
141 Si tibi communi assensu connubia Divae  
142 annuerent, Paris umbrosa quas vidit in Ida,  
143 permittantque tuo socias tibi jungere taedas  
144 arbitrio, quid jam, voti licet improbus, optes  
145 amplius ? Eximiae delectat gratia formae ?  
146 Aspice quantus honos frontis, quae gratia blandis  
147 interfusa genis, quam mitis flamma decoris  
148 fulguret ex oculis, quam conspiravit amico  
149 foedere cum tenera gravitas matura juventa,  
150 lenis et augusta cum majestate venustas.  
151 Pectora nec formae cedunt exercita curis  
152 Palladiis, et Pierias exculpta per artes  
153 tranquilliant placidos Sophia sub iudice mores.  
154 Si feries generis longusque propaginis ordo  
155 quaeritur : haec una centum de stirpe nepotes  
156 sceptriferos numerare potest, haec regia sola est,  
157 quae bis dena suis includat secula fastis ;  
158 unica vicinis toties pulsata procellis,  
159 externi immunis domini : quodcumque vetustum  
160 gentibus in reliquis vel narrat fama, vel audet  
161 fabula, longaevis vel credunt saecula fastis,  
162 huc compone, novum est. Ampla si dote moveris,  
163 accipe dotales Mavortia pectora Scotos.  
164 Nec tibi frugiferae memorabo hic jugera glebae,  
165 aut saltus pecore, aut fecundas piscibus undas,  
166 aut aeris gravidos et plumbi pondere sulcos,  
167 et nitidos auro montes, ferroque rigentes,  
168 deque metalliferis manantia flumina venis,  
169 quaeque beant alias communia commoda gentes.  
170 Haec vulgus miretur iners, quique omnia spernunt  
171 praeter opes, quibus assidue sitis acris habendi  
172 tabifico oblimat praecordia crassa veneno.  
173 Illa pharetratis est propria gloria Scotis,  
174 cingere venatu saltus, superare natando,  
175 flumina, ferre famem, contemnere frigora et aestus ;  
176 nec fossa et muris patriam, sed Marte tueri,  
177 et spreta incolumen vita defendere famam ;  
178 polliciti sevare fidem, sanctumque vereri  
179 numen amicitiae, mores, non munus amare.  
180 Artibus his, totum fremerent cum bella per orbem,  
181 nullaque non leges tellus mutaret avitas  
182 externo subjecta iugo, gens una vetustis  
183 sedibus antiqua sub libertate resedit.  
184 Substitit hic Gothi furor, hic gravis impetus haesit  
185 Saxonis, hic Cimber superato Saxone, et acri  
186 perdomito Neuster Cimbro. Si volvere priscos  
187 non piget annales, hic et victoria fixit  
188 praecipitem Romana gradum : quem non gravis Auster  
189 reppulit, incultis non squalens Parthia campis,  
190 non aestu Meroe, non frigore Rhenus et Albis  
191 tardavit, Latium remorata est Scotia cursum ;  
192 solaque gens mundi est, cum qua non culmine montis,  
193 non rapidi ripis amnis, non objice silvae,  
194 non vasti spatiiis campi Romana potestas,  
195 sed muris fossaque sui confinia regni

196 munivit : gentesque alias cum pelleret armis  
 197 sedibus, aut victas vilem servaret in usum  
 198 servitii, hic contenta suos defendere fines  
 199 Roma securigeris praetendit moenia Scotis ;  
 200 hic spe progressus posita, Carronis ad undam  
 201 terminus Ausonii signat divortia regni.  
 202 Neve putes duri studiis asseta Gradivi  
 203 pectora mansuetas non emollescere ad artes,  
 204 haec quoque, cum Latium quateret Mars barbarus orbem,  
 205 sola prope expulsis fuit hospita terra Camenis.  
 206 Hinc sophiae Graiae, sophiae decreta Latinae,  
 207 doctoresque rudis formatoresque juventae  
 208 Carolus ad Celtas traduxit ; Carolus idem,  
 209 qui Francis Latios Fasces, trabeamque Quirini  
 210 ferre dedit Francis, conjunxit foedere Scotos ;  
 211 foedere, quod neque Mars ferro, nec turbida possit  
 212 solvere seditio, aut dominandi insana cupido,  
 213 nec series aevi, nec vis ulla altera, praeter  
 214 sanctius et vinclis foedus propioribus artans.  
 215 Tu licet ex illa numeres aetate triumphos,  
 216 et conjuratum cunctis e partibus orbem  
 217 nominis ad Franci exitium, sine milite Scoto  
 218 nulla umquam Francis fulsit victoria castris,  
 219 nulla umquam Hectoridas sine sancto sanguine clades  
 220 saevior oppressit ; tulit haec communiter omnes  
 221 fortunae gens una vices ; Francisque minantes  
 222 saepe in se vertit gladios. Scit belliger Anglus,  
 223 scit ferus hoc Batavus, testis Phaethontias unda,  
 224 nec semel infaustis repetita Neapolis armis.  
 225 Hanc tibi dat conjux dotem, tot saecula fidam  
 226 conjunctamque tuis sociali foedere gentem,  
 227 auspiciam felix thalamis concordibus, armis  
 228 indomitos populos per tot discrimina, felix  
 229 auspiciam bellis, venturaeque omnia palmae.  
 230 At tu conjugio, Nymphae, dignata superbo,  
 231 te licet et Juno, et bellis metuenda virago,  
 232 et Venus, et Charitum larga indulgentia certet  
 233 muneribus decorare suis, licet ille secundus  
 234 spes votisque hominum Francae moderator habenae,  
 235 et solo genitore minor, tibi regia sceptrum  
 236 submittat, blando et dominam te praedicet ore,  
 237 sexum agnosce tamen, dominaeque immunis habenae  
 238 hactenus imperio jam nunc assuesce jugali :  
 239 disce jugum, sed cum dilecto conjuge, ferre ;  
 240 disce pati imperium, victrix patiundo futura.  
 241 Aspicias Oceanum saxa indignatus ut undis  
 242 verberet, et cautes tumida circumfremat ira :  
 243 rupibus incursat, demoliturque procellis  
 244 fundamenta terens, scopulisque assultat adesis ;  
 245 ast ubi se tellus molli substravit arena,  
 246 hospitioque Deum blande invitavit amoeno,  
 247 ipse domat vires, placidusque et se minor ire  
 248 in thalamos gaudet non torvo turbidus ore,  
 249 non spumis fremituque minax, sed fronte serena  
 250 litus inoffensum lambit, sensimque relabens  
 251 arreptit facilis cerni et, ceu mollia captet

252 oscula, ludentes in litore lubricat undas.  
 253 Cernis ut infirmis hedera enitatur in altum  
 254 frondibus, et molli serpens in robora flexu  
 255 paulatim insinuet sese, et complexibus haerens  
 256 emicet, et mediis pariter caput inserat astris.  
 257 Flectitur obsequio rigor, obsequioque paratur  
 258 et retinetur amor. Neu te jactura relictæ  
 259 sollicitet patriæ, desideriumque parentis :  
 260 hæc quoque terra tibi patria est, hic stirpe propinqui,  
 261 hic generis pars magna tui, multosque per annos  
 262 fortunatorum series longissima regum,  
 263 unde genus ducis, rerum moderatur habenas.  
 264 Quoquo oculos vertes, quoquo vestigia flectes,  
 265 cognatis pars nulla vacat, locus exhibet omnis  
 266 aut generis socios, aut fastis inclyta gentis  
 267 ostentat monumenta tuæ. Jam ut cetera mittam,  
 268 hic te, qui cunctis merito præponderat unus,  
 269 exspectat longe pulcherrimus Hectoridarum,  
 270 paene tibi stirpis communis origine frater :  
 271 mox etiam fratrem quod vincat amore futurus,  
 272 et matrem, et quicquid consanguinitate verendum  
 273 lex facit, et, legum quam jussa valentior ulla,  
 274 naturæ arcanos pulsans reverentia sensus.  
 275 Hic quoque (ni justis obsistent numina votis,  
 276 falsaque credulitas frustra spem nutrit inanem)  
 277 filius ore patrem referens, et filia matrem  
 278 sanguine communi vinclum communis amoris  
 279 firmabunt, brevibusque amplexi colla lacertis  
 280 discutient blando curarum nubila risu.  
 281 Hunc vitæ mihi fata modum concedite, donec  
 282 juncta Caledoniæ tot sæclis Gallia genti  
 283 officiis, pactisque, et legum compede, fratrum  
 284 subdita dehinc sceptris animo coalescat ; et undis  
 285 quos mare, quos vastis caelum spatiisque solumque  
 286 dividit, hos populum concordia nectat in unum,  
 287 æquæva æternis cæli concordia flammis.

DEPLORATIO STATUS REI GALLICÆ, SUB MORTEM FRANCISCI SECUNDI REGIS.

S\_5 v.1 O dea, quæ nimis successibus invida fastus  
 2 spesque premis tumidas, si Gallia forte secundis  
 3 non moderata animum rebus, si prodiga linguæ,  
 4 improba si voti tua nomina læserit, iræ  
 5 pone modum, et fessis propius bona consule rebus.  
 6 Quicquid enim poenæ meruit vel noxa, vel error,  
 7 cladibus eluimus : quos non infecimus amnes  
 8 sanguine ? Naufragiis mare teximus, ossibus agros ;  
 9 oppida quot spoliata ! Suis viduata colonis  
 10 rura quot incultis horrent squalentia dumis !  
 11 Pax quoque non fido vultum fucata veneno  
 12 sævior incubuit bello. Dum thura litamus  
 13 ignibus, et superis læti instauramus honores,  
 14 ipse gubernator fortunæ victima ad aram  
 15 immatura suo turbavit gaudia luctu,

16 concussitque una pariter labefacta ruina  
 17 omnia ; finito vix tandem eluximus anno,  
 18 jam lacrymae rediere novae ; cumulata feruntur  
 19 funera funeribus, et clades clade, novoque  
 20 vulnere crudescit prope jam coitura cicatrix.  
 21 Ipsa etiam taetro Discordia feta veneno  
 22 his majus meditata nefas, de sede silentum  
 23 evocat infernas supera ad convexa sorores,  
 24 inque animos odii fundens mala semina et irae,  
 25 et procerum mentes privata ad commoda torquens  
 26 in commune vetat socias extendere curas.  
 27 Quae jam dedecoris, quae damni exempla supersunt ?  
 28 Quae non pertulimus, vel mox ventura timemus ?  
 29 Cladibus infestos etiam satiavimus hostes,  
 30 invidiae arbitrio poenas expendimus : ista  
 31 sint satis erroris culpaeve piacula nostrae.  
 32 Accipite haec superi : fractae serieque malorum  
 33 assidua afflictatae faciles succurrite genti,  
 34 inque feros belli clades convertite Turcas.

#### DE EQUO ELOGIUM.

S\_6 v.1 Cetera rerum opifex animalia finxit ad usus  
 2 quaeque suos, equus ad cunctos se accommodat unus :  
 3 plaustra trahit, fert clitellas, fert esseda, terram  
 4 vomere proscindit, dominum fert, sive natatu  
 5 flumina, seu fossam saltu, seu vincere cursu  
 6 est salebras opus, aut canibus circumdare saltus,  
 7 aut molles glomerare gradus, aut flectere gyros,  
 8 libera seu vacuis ludat lascivia campis.  
 9 Quod si bella vocent, tremulos vigor acer in artus  
 10 it, domino et socias vomit ore et naribus iras,  
 11 vulneribusque offert generosum pectus, et una  
 12 gaudia, maerore sumit ponitque vicissim  
 13 cum domino : fortem sic officiosus in omnem,  
 14 ut veteres nobis tam certo foedere junctum  
 15 crediderint mixta coalescere posse figura,  
 16 inque Pelethroniis Centauros edere silvis.

#### GENETHLIACON JACOBI SEXTI REGIS SCOTARUM.

S\_7 v.1 Cresce, puer patriae auspiciis felicibus orte,  
 2 exspectate puer, cui vatum oracla priorum  
 3 aurea compositis promittunt saecula bellis,  
 4 tuque peregrinis toties pulsata procellis,  
 5 paene tuo toties excisa Britannia ferro,  
 6 exsere laeta caput, cohibe pacalis olivae  
 7 fronde comam, repara flammis foedata, ruinis  
 8 convulsa, et pulso cole squalida tecta colono.  
 9 Pone metum, aeternam spondent tibi sidera pacem.  
 10 Jam neque Saxonidae Scotos, nec Saxona Scotus  
 11 infestus premet, et cognato sanguine ferrum

12 polluet, et miseram praedando exhauriet urbes.  
13 Sed quibus ante feri tractabant arma Gradivi,  
14 jam dehinc pacatis conjungent foedera dextris.  
15 Vos quoque felices felici prole parentes,  
16 jam tenerum teneris puerum consuescite ab annis  
17 justitiae, sanctumque bibat virtutis amorem  
18 cum lacte, et primis pietas comes addita cunis  
19 conformetque animum, et pariter cum corpore crescat.  
20 Non ita conversi puppis moderamine clavi  
21 flectitur, ut populi pendent a Principe mores.  
22 Non carcer, legumque minae, torvaeque secures  
23 sic animos terrent trepidos formidine poenae,  
24 ut verae virtutis honos, moresque modesti  
25 regis, et innocui decus et reverentia sceptri  
26 convertunt mentes ad honesta exempla sequaces.  
27 Sic ubi de patrio redivivus funere phoenix  
28 aurorae ad populos redit, et cunabula secum  
29 ipse sua, et cineres patris inferiasque decoris  
30 fert humeris, quacumque citis adremigat alis,  
31 indigenae comitantur aves, celebrantque canoro  
32 agmine : non illas species incognita tantum,  
33 aut picturatae capiunt spectacula pennae,  
34 quam pietas, pietas etiam intellecta volucrum  
35 sensibus : usque adeo recti natura per omnes  
36 diffudit rerum vivacia femina partes,  
37 sic in regem oculos populus defigit, et unum  
38 admirantur, amant, imitantur, seque suosque  
39 ex hoc, ceu speculo, tentant effingere mores.  
40 Quod non sanguinei petuenda potentia ferri  
41 exprimet, et nitido florentes aere phalanges,  
42 hoc praestabit amor : certat cum Principe vulgus  
43 officiis, et amat, cum se deprendit amari,  
44 et domino servit, quia non servire necesse est ;  
45 quasque bonus princeps laxat sponte, artat habenas,  
46 deposcitque jugum, quod vi cogente metuque  
47 rejecturus erat ; contra indulgentior ille  
48 rexque paterque suis adimit, subit ipse labores,  
49 quaeque jubet primus praeit, et legum aspera jussa  
50 mollia parendo facit, erratisque suorum  
51 parcere non durus, sibi inexorabilis uni.  
52 Ille nec in cultu superet mensaque domoque,  
53 quem posuit natura, modum, nec more ferarum  
54 in Venerem praeceps, sed certo fine pudoris  
55 casta colat sancti genialia foedera lecti.  
56 Quis bombyce ausit cultus foedare viriles,  
57 si ferat indigenam majestas regia vestem ?  
58 Quis de lege tori, tamquam sit dura, queratur,  
59 cum teneat regem ? Cui non temulentia turpis  
60 Principe sub sicco ? Patrios quis frangere mores  
61 audeat, ignavoque animum corrumpere luxu,  
62 ipse voluptatum cum Princeps frena coercet,  
63 et nimium laetam vitiorum comprimit herbam ?  
64 Talem Romulidae tranquilla pace fruentem  
65 sacrificum videre Numam, Solomonta potentem  
66 palmifer Euphrates : non illis letifer ensis,  
67 non bellator equus firmavit regna, nec axis

68       falcifer, aut densis legio conferta maniplis,  
69       sed pietatis amor, sed nulli noxia virtus,  
70       fretaque praesidio majestas juris inermi.  
71       At qui gemmiferos victor penetravit ad Indos  
72       dux Macedum, quique Ausoniam tenuere superbo  
73       imperio Reges, aut ferro aut tabe veneni  
74       effudere animas, et caedem caede piarunt.  
75       Scilicet humano generi natura benigni  
76       nil dedit, aut tribuet moderato Principe majus,  
77       in quo vera Dei vivensque elucet imago.  
78       Hanc seu Rex vitiis contaminet ipse pudendis,  
79       sive alius ferro violet vel fraude, severas  
80       sacrilego Deus ipse petet de sanguine poenas,  
81       contemptumque sui simulacri haud linquet inultum.  
82       Sic nero crudelis, sic Flavius ultimus, et qui  
83       imperio Siculas urbes tenuere cruento,  
84       effigiem foedare Dei exitiis ausi  
85       flagitiis, ipsa periere a stirpe recisi.  
86       Sic qui se justis macularunt sanguine Servi,  
87       et qui legitimos ferro flammaque petivit  
88       rectores patriae Catilina nefarius, acti  
89       in furias misero vix tandem funere vitam  
90       invisam posuere, ignominiaque perenni  
91       foedavere suam ventura in saecula gentem.  
92       Haec tenero addiscat, maturo exercent aevo,  
93       et regnare putet multo se latius, orae  
94       Hesperiae fuscis quam si conjunxerit Indos,  
95       si poterit rex esse sui, rex esse suorum.